

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Ludwig Conrad Schroeder


**Lvd. Conr. Schroederi I. V. D. Programma De Actione Negatoria Pro Specie  
Contravindicationis Apvd Romanos Non Habenda : Qvo Generosissimi Atqve  
Praenobilissimi Commititones Ad Lectiones Per Instans Semestre Aestivvm  
Habendas Invitantvr**

Marpvrgi Cattorvm: Typis Philippi Casimiri Mvller, Anno MDCCCL

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010744291>

Druck    Freier  Zugang





K.K — 1 (19.)





LVD. CONR. SCHROEDERI

I. V. D.

PROGRAMMA

T 21

DE

ACTIONE NEGATORIA

PRO SPECIE CONTRAVINDICATIONIS

APVD ROMANOS NON  
HABENDA

QVO

GENEROSISSIMI ATQVE PRAENOBILISSIMI  
COMMILITONES

AD

LECTIONES

PER INSTANS SEMESTRE AESTIVVM  
HABENDAS

INVITANTVR.




MARPVRGI CATTORVM

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI

ANNO MDCL.





§. I.

**I**nter iuris romani quaestiones, subtilibus Romanorum disputationibus, et acutis interpretationibus, difficiles factas, a iurium interpretationibus in primis doctrina de seruitutibus referuntur. Siue enim ipsam seruitutum naturam, siue varia earum attributa consideremus, tot semper peculiares hypotheses inueniuntur, a gente sagacissima excogitatae, ut haec materia summos quoque Iureconsultos fatigarit. Non itaque mirandum, quod praxis hodierna pluribus in partibus cum iure romano non conueniat. Interea tamen, in hisce differentiis notandis, cum I.O. FRID. REINHARDTO non eo usque progredi vellem, ut actionem negatoriam, prouti ea hodie ad libertatem praedii vindicandam usurpatur, totam contra sententiam iuris romani inuestigam putarem. Hic enim in *dissertatione*, quam titulo, *paradoxa circa actionem negatoriam*, inscripsit, et sub *praesidio* V. C. ANDR. FL. RIVINI Vitembergae defendit, eam actionem pro sola quadam contrauindicationis specie apud Romanos habet, quae a reo tantum actori

*Ratio  
instituti  
exponitur.*

opponeretur, actione confessoria vel libertatem praedii sui, vel ius seruitutis, vindicanti. Sed cum V. Cl. sententia pluribus dubiis et naeuis laboret, et doctrinam seruitutum valde turbet; operae premium erit, ut paucis veram actionis negatoriae naturam contra eum exponamus, quod simul occasio sit futura; quaedam, hactenus nondum animaduera, obseruandi.

## §. II.

*Modus antiquus contagiandi traditum.*

Notum est, post promulgatas apud Romanos XII. tabulas Iureconsultos legis actiones, sive formulas, inuenisse, quibus litigantes in iudicio experirentur, quod legibus XII tabularum nullus modus fuisse praescriptus, quo caussa in iudicio exponeatur. a) Sollemnia hinc verba sunt orta, adeo adcurate obseruanda, ut is caussa caderet, qui vel syllaba a consueta formula aberrasset. Si igitur res ab altero esset evinceenda, & per sollemnem illam *litem vindicarum* rei controuersae possessor constitutus; actor sollemnibus verbis rem a possessore vindicabat: *hunc fundum meum esse aio ex iure quiritium* b). Reo contra, si non cedere, sed contendere vellet, idem erat formula prodita, sub dispendio litis obseruanda: *et ego hunc fundum meum esse aio ex iure quiritium*. c) Haec igitur formula, quae alterius

a) CHR. GOTHOFR. HOFFMANN, *in hist. iur. lib. I. cap. I. per. 4. §. 6. p. 201. seq.*

b) CAROLVS SIGONIUS *de iudiciis lib. I. cap. I. p. 376. seq. operum. IA.*

COEVVS GOTHOFRÉDVS  
ad VI. legem XII. tabularum p. 212.

c) V. OMN. NIC. HIER. GVNDLING *in diff. de rei vindicatione ex iur. rom. et patro. c. I. §. 5-7.*

terius vindicationi opponebatur, sub nomine *contrauindicationis* veniebat.

§. III.

Idem igitur modus sollemnis, tam vindicandi, *Actio ne-*  
quam contrauindicandi etiam ratione seruitutum gatoria sua  
obtinuisse videtur. Licet enim nulla expressa hac *natura non*  
*de re apud veteres scriptores romanos fiat mentio;* erat con-  
credibile id tamen est, quod actiones occasione ea-  
rundem oriundae reales sint, et in legibus passim  
*vindicationes* vocentur, *d)* quibus semper a reo  
secundum ius antiquum contrauindicationes fuerunt  
opponendae. *e)* Sed minime tamen hinc poterit deduci,  
quod per solam actionem confessoriam tum libertas  
praedii, tum ius seruitutis, fuerit vindicatum:  
actio autem negatoria tantum instar contrauindica-  
tionis, et exceptionis, alterius actioni opponenda.  
Patebit hoc maxime, si ex legibus, et disserimine  
formularum, quod in iis maxime commendatur, *f)*  
exponamus, quibus in casibus singulae actionum  
species fuerint usurpatae.

§. IV.

Ad clariorem autem legum expositionem ma- *Quod ra-*  
xime inseruiet, si ad distinctionem seruitutum in *tione adfir-*  
adfirmatiwas et negatiwas probe attendamus. In *matiu-*  
adfirmatiwas seruitutibus, quae in *patiendo consi-*  
stunt, ad ius seruitutis vindicandum actio con-  
fessoria erat comparata, cuius formula erat adfir-

A 3 mati-

*d) §. 15. I. de aet. l. 1. l. 2. D. si e) laud. GVNDLING. in  
Iera. vnd. diff. cit. §. 7.*

*f) conf. l. 6. pr. l. 11. eod.*

matiue concepta : *aio ius mihi esse, ire, agere, vel frui.* g) Verisimile igitur videtur, quod, si reus secundum ius antiquum formularium voluisset contrauidicare, hoc factum fuisset per formulam, quae in legibus alias actioni negatoriae propria est : *aio ius tibi non esse, me inuito, ire, agere, vel frui.* h) Sed male aliquis inde repeteret, quod actio negotoria semper naturam habuisset contrauidicationis, quem aliis in casibus eius rei contrarium ex legibus manifesto adpareat.

## §. V.

*Seruitu-  
tum, et*

Ita enim alia obtinebat ratio, si quis alteri ius seruitutis negaret. Tunc enim ab auctore non fuit per actionem confessoriam in genere libertas praedii vindicata, et a reo in contrauidicatione demum ius seruitutis oppositum : sed ab auctore per actionem negotiorum speciatim ius eundi, agendi, vel fruendi, reo negatum. Docet hoc in primis, praeter MARCIANVM, i) VLPIANVS, l) qui, dum de actione disquirit, quae proprietario contra fructuarium sit danda, ait, *negatiuam ipsi competere, qua negaret ius esse utendi fructuario, vel ius sibi esse prohibendi, ne alter frueretur.* Actori igitur haec actio dabatur, et ipsissima erat negotoria, vti vel inde patet, quod idem Iureconsultus alibi m) adfirmet, hanc actionem *domino dari, qui ius seruitutis alteri negat.* Non itaque auctor

g) l. 8. l. 9. eod.

b) l. 5. pr. si vsusfr. pet. l. 8.  
si seru. vind.

i) l. 11. de pignor.

l) l. 5. pr. si vsusfr. pet.  
m) l. 2. pr. si seru. vind.

actor in formula actionis negatoriae se in genere in libertate prædii fundabat, quo casu nimis vaga fuisse set eius petitio: sed speciatim alterius ius seruitutis impugnabat. Nec enim proprie a reo potest libertas vindicari, cum is eam nunquam possideat, sed ius tantum seruitutis, quo illa impeditur. Potius igitur eo saltem respetu per actionem negatoria libertas dicitur vindicari, quod illa ius tribuat, alteri ius seruitutis negandi. Nam necesse est, ut praesumatur, illum iam vi dominii libertatem habere, qui alterius ius seruitutis in dubium vocat, cum alias nullo iure gauderet ad hanc actionem instituendam.

## §. VI.

Nec melius fundamentum habet Cl. REINNEGATIUM HARTDI opinio ratione seruitutum negatiuarum, dum praeter alios b. IVSTVM HENNING. BOEMERVM n) erroris vult incusare, quod dicat, actioni negatoriae locum esse, ubi quis vi seruitutis, sibi competentis, alteri facultatem negat, aliquid faciendi. Negatoriam autem actionem hic usum venisse, ex legibus clarum est, dum formulam agendi hic negative esse concipiendam, tradunt: aio ius tibi non esse, altius tollere, vel ita aedificatum habere. o) Cum enim in legibus semper discriminem formularum maxime obseruetur; generatim actione negatoria erit vocanda, quae ex iure prohibendi nascitur, sive hoc ex praesumtione libertatis competat,

n) de action. sect. III. cap. 2. o) l. 4. §. fn. l. 6. pr. si seru. vind.  
§. 40. not. p.

petat, vti in adfirmatiuis seruitutibus vidimus, siue id ex ipso seruitutis iure oriatur, vti praefens species declarat. Hinc, si formula sit negatiue concepta, ipsa actio quoque in legibus p) negatiua vocatur, ad quam IVSTINIANVS q) speciatim refert exempla: *si quis intendat, ius non esse aduersario altius tollendi, prospiciendive.* Non autem per modum contrauindicationis, sed per modum vindicationis, siue actionis, hasce formulas vsu venisse, praeter alios AFRICANVS r) docet, dum casum exponit, ubi quis egerat, *ius alteri non esse altius tollendi, et reus non defendebatur.*

### §. VII.

*ostenditur.* Si quis autem ratione harum seruitutum negatiuarum alteri ius seruitutis, et facultatem prohibendi, negaret; adfirmatiue, formula actionis confessoriae, agebatur. Ita enim Imperator s) inter actiones confessorias refert exemplum, *si quis agat, ius sibi esse aedes altius tollendi,* quod reus negabat vi seruitutis, quam praetendebat. Multo manifestius autem hoc ex VLPIANO t) adparet, vbi ait, quod ille, qui liberas aedes habet, possit contra prohibentem agere: *ius sibi esse altius aedes tollendi, in uito eo, quocum ageret.* Hac igitur demum in specie, si reus voluisset secundum ius antiquum contrauindicare, id factendum fuisset ex sententia actionis negatoriae: *ius alteri non esse aedes altius tollendi.*

Sed,

p) l. 5. pr. si usufr. pet. §. 2. r) l. 15. de op. nou. nunc.

I. de action.

s) l.c.

q) c. §. 2.

t) in l. 4. §. 7. si seru. vind.

Sed ut iam vidimus, hoc minime impediebat, quo minus actio negatoria, si res id ferret, per modum actionis posset proponi; cum etiam formula actionis confessoriae potuisset auctori, actione negatoria agenti, per modum exceptionis, sive contraudicationis, opponi.

### §. VIII.

Planus igitur secundum hanc distinctionem est *Sensus §. 2.*  
*sensus Imperatoris v) ratione seruitutis altius aedes I. de action.*  
*non tollendi,* cuius explicatio alias interpretibus vi-  
*exponitur.*  
 detur maxime difficilis. Quia enim inter adfirmatiuas et negatiuas seruitutes non distinguebant, mi-  
 rum iis videbatur, qua ratione formula, *aio ius tibi  
 non esse altius tollendi,* posset ad negatoria actiones  
 referri, quod ex ipso seruitutis iure esset oriunda.  
 Hinc REINH. BACHOVIVS, x) ARN. VINNIUS, y)  
 aliquique, Tribonianum hic erroris incusarunt: quod  
 autem sine causa factum fuisse, iam facile patet.  
 Pariter putarunt, formulam, *aio mihi ius esse altius  
 tollendi,* non ex libertate, sed ex ipso seruitutis  
 iure oriri, quod ea ab Imperatore, pro specie actionis  
 confessoriae haberetur. Finxerunt igitur I. G.  
 HEINECCIVS z) VLR. HVBERVS, a) aliquique, ca-  
 sum, vbi quis sibi a vicino facultatem stipulatus  
 fuerat, aedes altius tollendi, quam per legem ci-  
 uitatis liceret. Verum etiam est, quod talis serui-  
 tus possit existere: sed eius nullibi in iure fit mentio,  
 eaque

v) in c. §. 2. I. de act.

z) in element. Inst. §. 405.

x) in commentar. ad c. §. 2.

a) in praelect. ad Inst. I. 2.

y) in commentar. ad eund. §.

tit. 3. §. II.

p. m. 769.

B

eaque in patiendo consistit, ut ita sit adfirmativa, & plane diuersa ab illa negatiua, ratione cuius Imp. formulas agendi recenset, et quae in non faciendo consistit. VLPIANVS enim, b) a quo illae formulae in Institutionibus mutuatae videntur, expresse testatur, quod ex iure libertatis adfirmativa agatur, ius sibi esse altius tollendi, et negatiue ex iure seruitutis, ius alteri non esse altius tollendi. Turbaretur etiam mutua relatio inter hasce formulas, sub qua ab Imperatore recensentur, si hunc statam illam seruitutis speciem in mente habuisse, staueremus.

## §. VIII.

*Iure nouo  
sublatuſ  
fuit uſuſ  
contrauin-  
dicatio-  
nium,*

Ceterum autem, ille modus ratione seruitutum tum vindicandi, tum contrauindicandi, iure tantum apud Romanos antiquo videtur obtainuisse. Nam vti deinde in vindicationibus rerum corporalium accidit, vt reo non amplius opus esset contrauindicatione, postquam praetor generali editio rei vindicationem contra quemcunque possessorem concesserat, siue contrauindicaret, siue non; c) sic idem ratione seruitutum contigisse videtur. Ita enim non amplius condemnatio statim siebat, si reus non contrauindicaret, sed si demum actor dominum rei, vel ius seruitutis, probaret, licet reus vel nullo iure possideret. d) Hinc quoque rarissima sunt vestigia antiquae illius contrauindicationis in Digestis, et fe-

b) l. 4. §. fin. l. 6. pr. si seru.  
vind.

c) V. GER. NOODT in comm.  
ad D. lib. VI. tit. I. p. 157.

d) l. vlt. C. de rei vind. add.  
laudatiss. GVNDLING in

diff. cit. §. 7.

re vbique ex scriptis veterum Iureconsultorum eli-  
minata, quod hic ritus non amplius cum ordine  
iudiciorum tempore IVSTINIANI conueniret,  
solemnitatibus formulariis iam diu sublatis, vt quo-  
que hodie potius ex antiquis scriptoribus romanis,  
quam ex corpore iuris, sit addiscendus. Non sal-  
tem ad antiquam contrauindicationem spectant ver-  
ba IVSTINIANI, vbi in *Institutionibus* e) inter actiones  
reales actiones negatorias refert, et, postquam  
confessorias enumerasset, expresse dicit, *contra*  
*quoque negatiuas dari, quae cum illis inuicem essent*  
*proditae.* Factum enim hoc solum ad diuersitatem  
harum actionum indicandam. Neque etiam credi-  
bile est, quod Imper. illo loco, vbi de vsu sui tem-  
poris loquitur, actionem negatoriam pro specie  
contrauindicationis potuerit venditare, cuius vsus  
iam diu fuerat sublatus.

§. X.

Patet igitur, quae sit iure Iustinianeo actionis et *actio negotioriae natura*. Eam, aequa ac confessoriam, *actor instituebat*, et, si reus intentioni actoris *contradiceret*, hoc non siebat per modum sollempnis *contrauindicationis*, sed per modum simplicis *exceptionis*. Patet hoc in primis ex ea ratione, quod *V L-PIANVS f)* aliique *Iureconsulti*, adfirment, *nugatoriam actionem*, vti confessoriam, *actori dari*, contra reum possidentem; quod fieri plane non potuisset, si illa tantum pro specie *contrauindicationis* foret reputanda. Notum enim est ex antiquo processu judicario apud Romanos, quod non *actor*,

B 2 fed

e) §. 2. de act.

f) l. 8. §. 3. si seru. vind.

sed solus reus possessor potuerit contrauindicare. (§. 2.) Cum enim demum per litem vindicarum esset definitum, quis rei, vel iuris, foret possessor; actor contra hunc instituebat vindicationem, cui tunc a reo contrauindicatio opponebatur.

## §. XI.

*non autem  
contra re-  
um non  
possiden-  
tem.*

Communis quidem est opinio, quod actio negatoria, vti confessoria, detur tum contra reum possidentem, tum non possidentem: g) sed omnes hoc ex infirma ratione adstruunt, quod seruitutes non vere possideantur. Nam postquam fuit receptum, quod seruitutes, vti alia iura, tamen quasi possideantur; eadem ratio iuris fuit ad quasi possessionem applicata, quae antea in vera possessione obtinuerat. Reete igitur CHRISTIANVS THOMASIVS b) illi errori obuiam iuit, et solide ex VLPIANO, aliisque Iureconsultis, docuit, quod illae actiones. tantum contra possidentem habuerint locum. Interim tamen V. C. antinomiam fere non conciliabilem inter illam VLPIANI l. 8 §. 3. si seru. vind. esse putat, atque l. 6. §. 1. eod. et l. 5. §. fin. si ususfr. pet. in quibus Iureconsultus afferit, quod quis possit esse iuris et petitior et possessor, cum hoc tamen in priori illa lege distinet negasset. Conciliationem quidem, a nemine adhuc tentatam, ipse suggerere studet i) ex dissensi antiquorum Iureconsultorum, an seruitutes possint possideri: sed neque

g) GER. NOODT de usuf. b) in diff. de onere probandi l. II. c. 15. p. 412. seq. VLR. in act. negator. §. 9. seq.  
HVBER in prael. ad Inst. l. IV. tit. VI. §. 6. i) Lc. §. 17.

neque ipse ei multum fudit, neque ea probabilis est. Quis enim credet, VLPIANVM, summum Iureconsultum, duas tam diuersas sententias probasse, cum eius tempore iam diu sententia fuerit vſu probata, quod seruitutes quasi possideantur, et praetor quasi possidentes tueri cooperit, vti ex permultis legibus, et titulis interdictorum, constat? Planam igitur saltem harum legum explicationem trademus, ex qua patescet, quod minime VLPIANVS velit, actionem negatoriam etiam contra non possidentem dari, et in ceteris ad cel. THOMASII rationes prouocabimus.

## §. XII.

Priori in lege l) VLPIANVS speciem tra- *Sensus*  
Etat seruitutis negatiuae, de non altius aedes tollen- VLPIANI  
do, et eum, qui hanc seruitutem praetendit, pe- in l. 6. §. 1.  
titorem et possessorem huius iuris vocat, quamdiu si seru-  
alter nondum altius aerlificari. Sed clara erit lex, vind. expo-  
dummodo indagemus, quo sensu, et quem in fi- nitur,  
nem, hic auctor vocetur possessor. Iureconsultus  
ait, cum posse aedificantem prohibere et civili actione,  
et interdicto, quod vi aut clam; quae verba indicant,  
quod actor tantum possessor *civilis* hic vocetur, qua-  
tenus nempe ei interdictum competit contra alterum,  
qui per aedificationem ipsum naturali iuris possessio-  
ne priuauit, et vitiose posidet. Hasce enim duas posses-  
sionum species a Iureconsulto sibi inuicem opponi,  
vel inde patet, quod statim subiungat verba:  
sed si paciente eo aedificauero, ego possessor ero effe-  
ctus, vt vitiose non possideam, nec locus sit inter-  
dicto.

B 3

l) l. 6. §. 1. si seru. vind.

dicto. Ipse igitur VLPIANVS hic potius testatur, quod ad actionem instituendam opus sit, ut alter aedificariet, et ita saltem *naturaliter*, licet vitiouse, possideat. Nam hoc demum casu, cum illa actione ciuili, quae hic negativa erat, (§. 6.) interdictum, quod *vi aut clam*, electiue concurrere adfirmat, cuius ipsa natura ostendit, quod non prius ei sit locus, nisi quis alterius facto iniusto naturali possessione rei, vel iuris, sit priuatus. m) Conuenit quoque eatenus actio negatoria cum rei vindicatione, quae contra quemlibet rei possessorem datur, qui naturalem rei restituenda facultatem habet. n)

## §. XIII.

*et in l. 5. §.* Nec magis altera lex VLPIANI o) obstare vi-fin. si usus detur, in qua dicit, quod fructuarius actione confessoria agens, et proprietarius negatoria agens, nihil fructuum nomine consequantur, si sunt possessores, sed tantum, ne amplius inquietentur. Ipse igitur Iureconsultus adfirmat, quod minimum istis actionibus locus sit, si quis alterum in quasi possessione, vel seruitutis, vel libertatis, turbarit. Iam vero notissimi iuris est, quod quasi possessio seruitutis in libero tantum usu, et patientia alterius, consistat. p) Cessante ergo alterius patientia, et impedito per factum turbatum libero usu; manifestum est, etiam naturalem alterius quasi possessionem cessare. Re vera igitur VLPIANVS hic consentit,

m) l. 1. quod *vi aut clam* o) l. 5. §. f. si usuf. per.  
p) l. fin. de seruit. l. 10. pr. si  
seru. vind.

n) l. 9. de rei vind.

sentit, quod illae actiones tantum ei dentur, qui non est possessor, et minimum naturali, vel seruitutis, vel libertatis, possessione priuatus. Hinc eo saltem respectu adfirmat, quod eae etiam possessoribus dentur, quia non solum *civiliter* adhuc tales sunt, et interdictum iis competit, ad *naturalem* possessionem recuperandam; sed etiam, quia haec tenus libere fructus perceperunt, ut eo nomine nihil a reo, iam turbante, possint petere.

## §. XIV.

Facile iam est, conuenientiam praxis hodiernae cum *Conuenientia praxis hodiernae* iure romano ratione actionis negatoriae tradere. Vidi-  
mus enim, hanc actionem etiam apud Romanos per mo-  
dum actionis fuisse institutam. Ostendimus etiam, per *cum iure romano*  
eandem actionem in adformatiuis seruitutibus libertatem  
praedii fuisse vindicatam. Vnica igitur ea differentia hic  
potissimum intercedere videtur, quod apud Romanos in  
seruitutibus negatiuis per actionem negatorialem ipsum ius  
seruitutis fuerit vindicatum: quia actor hic negabat, alterum  
aliquid contra ius suum seruitutis posse facere. In  
praxi autem probata est sententia, hanc actionem tantum  
ad tuendam siue vindicandam libertatem praedii esse  
comparatam: q) quae opinio inde inualuisse videtur,  
quod *VLPIANVS* r) adfirmet, *negatoria actione alteri a d minori seruituti negari*. Verum ictus hoc tantum di-  
cit ratione earum seruitutum, *de quibus nobis actiones com-*  
*petunt, ad exemplum earum, quae ad usumfructum perti-*  
*nent*. Ipso igitur *VLPIANO* suum assertum limitante,  
patet omnino, hoc ad solas adformatiuis seruitutes, in  
quarum numerum ususfructus pertinet, esse restringen-  
dum. Inevitabilis etiam foret antinomia inter hanc et  
alias leges, quas supra exposuimus, si illud dictum ad  
negatiuas seruitutes vellemus extendere.

## §. XV.

q) W.A.LAVTERBAUCH. in tit. V. §. 13. seq. aliisque passim.  
colleg. theor. pract. Dig. lib. VIII. r) 1. 2. §. 1. §. serui. vind.

## §. X.V.

ostenditur.

Sed tamen ideo magnum aliquod discrimen inter ius romanum et praxin hodiernam non statuerem. Quod enim ad effectum adtinet, perinde est, quomodo actio vocetur, et utrum formula agendi negatiue cohercpiatur: *aius tibi non esse altius tollendi*; an vero ea ex sententia pragmaticorum ita formetur: *aius me habere te prohibendi, ne altius tollas*. Semper enim idem ius seruitutis vindicatur. Quin b. i. h. BOEHMERVS s) melius esse, adfirmat, si etiam hodie secundum ius romanum formula actionis negatiue concipiatur, quod hic modus agendi multo esset altero planior.

## §. XVI.

*In uitatio  
ad lectiones  
proxime  
inchoan-  
das.*

Praefari haec volui ante, quam Generosissimos atque Praenobilissimos Commilitones de lectionibus, quas programmate hoc intimare volui, certiores facerem. Et quidem hora matutina Vlll - IX. in V. C. 10. GOTTL. HEINECCI Syntagma antiquitatum romanarum praelegam, doctrinam, quae viam sternit ad solidam iuris prudentiae romanæ cognitionem adquirendam. Hora autem X - XI. eodem V. C. duce, elementa Institutionum interpretabor. Praeterea hora VII - VIII. Historiam Imperii Romano-Germanici, praeente Cel. 10. PAVL. REINHARDO, ita exponam, ut non solum facta, et res gestae Regum et Imperatorum, cum mutationibus, quae in Imperio contigere, adcurate et distincte recenseantur, sed et facem illa praferat iuri publico operam nauaturis. Denique hora pomeridiana II - III. Cel. HEINECCI, vel 10. STEPH. PUTTERI, elementa iuris germanici explicabo, doctrinam omnino, quo iucundiore, eo utiliorem. Si qui sint Honoratissimorum Commilitonum, Collegium in V. C. b. 10. ADAM. KOPPII Historiam iuris a me desideraturi, neque hac in parte ipsis deero. Initium autem lectionum e valvis Academiae significabo.


Dabam Marburgi Cattorum, idibus Martii,  
anno MDCCCL.

s) de action. sect. III. c. 2. §. 40. not. p.









(mmm) Conferat. RVTGER. RVLANDVS, in Tractat. de Commissariis et Com  
nib. Part. i. Lib. 2. cap. 15. et BECKMANNVS in Disserrat. de Commissar  
periali ad causas iustitiae, §. 18. seqq.

(nnn) Vtriusque generis Exceptiones inconvenienter allegabat contra Sereniss  
Ducem Saxo-Gothanum ceu Commissarium, in causa der Eheleute von Gle  
ille Serenissimus Dux Saxo-Meinungensis, ceu reus, in supplicatione sua ei  
ta die 20. Februarri 1747. pro Mandato de abducendo milite, et Cita  
ad videndum se incidisse in poenam fractae pacis; quae tamen ab Augusti  
Camera Imperiali fuere rejecta Decreto infra allegando, in quo hacce A  
stissima Camera etiam inter alia Commissariorum facta approbanit expressi  
bis: das die verordnete Kaiserl. Commission ordentlich und legaliter pro  
habe.

## S. XXVI.

*Mandato de sequestrando quoque nunquam non adiungitur Mandatum  
manutencendo.*

**E**x praemissis iam adparet satis, quod nunquam non Mandato de se  
strandendo etiam ab Augustis. Camera Imperiali vel expresse, vel tacite M  
datum de manutenendo adiungi soleat; utpote id quoque Cameralis  
dinationis dispositio expressis verbis praecepit. Mandatum vero de ma  
tenendo ab Augustissima Camera Imperiali iis casibus, ac quidem expr  
decernitur, in quibus huius Augustissimi Archi-Dicasterii Decretis, Iud  
itis, aut Sententiis, vulgo sic dictis Cameralibus non paretur. (c)  
Quod si ergo sequestranda sit litigiosa res, aut etiam persona, ca  
propter ut nimirum ea in re, aut persona ferram quasi tectam renique  
vulneratam accipiat, lite finita, victor, ad sequestrandum decerna  
Commissio, Decretumque, vti appellatur, praelocutorium aut proui  
niale, Commissionem antecessit: tunc quoque, ex urgentissima causa,  
tendi Commissio ad sequestrandum solet simul ad manutenendum; q  
Commissio tali in casu uno eodemque actu perficitur, atque Commissa  
has simul imponit partes, vt prouideat, ne Decreto Camerae Imperi  
contraueniatur, resque aut persona de qua litigium obuersatur, eo in  
tu, quo Decretum Camerale esse voluit, conseruetur. Ex hac ratio  
etiam in saepe iam allegata causa der Eheleute von Gleichen, con  
Sachsen-Meinungen, Commissio ad sequestrandum, simulque ad ma  
tenendum decreta atque rite promulgata est.

(ooo) Co

